

ARCHIVUM FRANCISCANUM HISTORICUM



PERIODICA PUBLICATIO TRIMESTRIS

CURA

PP. COLLEGII D. BONAVENTURAE



ANNUS I. = TOMUS I.




Typographia, Directio et Administratio

AD CLARAS AQUAS prope FLORENTIAM

(QUARACCHI presso FIRENZE)

1908.



Modeste quidem, et brevibus pauca nos praefari licet, cum hoc periodici nostri primum specimen, rem historicam totius Ordinis Minorum illustrantis, studiosis hodie humanissime praesentamus.

Obedientia siquidem et maiorum patrocinio abunde freti, confratrum et exterorum amicorum diligentia opera, magnoque favore suffulti, aliquid saltem, ad clausos thesauros historiae nostrae aperiendos, conferre non dubitamus; verum, factis potius quam verbis et promissionibus opus nostrum iudicari poscit, et favorem magis mereri gestit quam habere.

Quod igitur Waddingus noster, cui nullum per elogium, feliciter iamdiu incepit, iisdem sane propositis nos etiam (modo tamen diverso prout diversa fert aetas), sua prosequi et continuare praesenti opere intendimus.

Mens ergo nostra est — ut eius verbis utamur — « quidquid alii hinc inde sparsim recte, vereque dictaverint, coadunare; quod omiserunt, qua possumus cura, connectere; nostra sufficienter probare; occurrentibus dubiis plene satisfacere; aliorum in nos iniurias non rependere, sed refellere; multorum circa res nostras ignorantiae tenebras non tam propalare, quam ipsa veritatis luce fugare (1) ».

His utcumque praemissis, cedat, placet, modestia nostra digniorem locum sequentibus litteris, quibus studioso patefiet

(1) Waddingus in *Praef. ad Apparatum ad Annales Minorum*, t. I. p. 2.

lectori, qui scopus, quive finis excelsos Mecoenates nostros moverit huic nostro operi vitam conferre, quam, tanto patrocinio, utique prosperam ominamur.

FR. DIONYSIUS SCHULER
PROV. THURINGIAE S. ELISABETH EX-MINISTER
S. CONGR. DE PROPAG. FIDE CONSULTOR
TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

*Omnibus Superioribus Provinciarum Custodiarum
et Missionum Ordinis Nostri
Salutem et Seraphicam Benedictionem.*

Centenarium ab Ordinis Nostri fundatione septimo recurrens omnes, quicumque sub S. Francisco Patre atque duce militant, magnopere invitat, ut in elapsa respiciant et pro illis, quae Dei bonitate et clementia in Ordine et per Ordinem gloriose sunt acta, gratias agant ex animo. Ipsa itaque in Deum pietas exigit, ut divinorum beneficiorum gratam memoriam religiosissime conservemus nostrique Instituti historiam diligent studio concelebremus. Neque etiam dubium esse potest, quin ex huiusmodi studiis uberes ac laeti fructus in praesenti et in posterum ipsi Ordini nostro inclito accrescant. Profecto historia S. Patriarchae nostri eiusque filiorum talis est, quae amorem vocationis nostrae inflammare et ad imitanda maiorum nostrorum exempla efficaciter invitare valet. Quibus rationibus nos impellentibus, sane dolendum esset, si Seraphicae Familiae alumni, in propriae historiae perscrutatione, potiores partes relinquenter exteris, imo acatholicis. Undique enim nostris temporis advolare videmus viros in rebus historicis eximie peritos, ut gesta Dei per S. Franciscum eiusque filios contemplentur, quae ignorare ipsos nostrates haud parum dedeceret. Grato utique animo etiam exteros in elucidanda Fratrum Minorum historia occupatos salutamus socios et amicos, eorumque opera nostris commendamus non negligenda; ast tacere non possumus aliquoties apud eos inveniri narrationes et iudicia, quae cum veritate non concordant. Quod mirum esse non potest. Quantumvis veritatis amatores et sensu historico praediti, tamen institutione, opinionibus, animi cultura tantopere distant a spiritu Instituti Seraphici, ut de ipsis rebus certum iudicium ferre vix possint. Nostrum itaque est, felici aemulatione cum illis contendere, ut demum, quantum fieri potest, veritas historica plena in luce resplendeat.

Quae cum ita sint, peropportunum duximus, invitare et hortari nostri Ordinis filios; ut alacri animo haec studia colant, foveant, suamque in ea operam conferant. Tanta enim adhuc restant pro nostra historia praestanda, ut certe unius vel paucorum vires longe superent. Plurima latent pretiosa documenta, quae invenienda, et in lucem sunt proferenda; alia plurima per omnem mundi regionem, per bibliothecas vel archivia, per libros, fasciculos, folia periodica et alia eiusmodi sunt dispersa, quae oportet colligi, collecta examinari, ea quidem ratione ac methodo, qua hodie periti utuntur historici.

Quapropter multorum in paeclarum hunc finem conspirantium labores unire atque coniungere cupientes, una cum Rmo Nostro Definitorio Generali visum est Nobis, novum creare **Periodicum** quod desideratam cognitionem historiae almi Ordinis nostri promoteat. Hoc Periodicum ad modernam methodum scientificam ita exaratum, ut aequis iudicibus probari possit, anno proxime venturo in lucem prodire incipiet. Idipsum SS. Dnus N. **Pius Papa X**, inaudientia privata Nobis die 17 Martii benigne concessa, benevolentissime Sua Benedictione Apostolica ditavit. Unde Nos illud hac occasione omnibus Confratribus maxime Superioribus enixe commendamus.

Haec consilia atque voluntatem Nostram, quae Vobis, carissimi fratres, praesentibus litteris manifestavimus, ex omnium animo dicta omniumque votis grata opinamur, ideoque speramus fore, ut eadem et animo volenti suscipiantur et unitis viribus ad optatum perducantur effectum, cui sicut et omnibus collaboratoribus speciale a Dno Benedictionem Seraphicam ferventer adprecamur.

Datum Romae, ad Sanctum Antonium, die solemni Paschatis
15 Aprilis 1906.

Fr. DIONYSIUS SCHULER, Min. Glis.

De mandato Paternitatis Suae Rmae.

Fr. JOSEPH PRATALATA

Secret. Glis. Ord.

His praemissis, en prospectus programmatis:

PARS PRIMA: Discussiones seu dissertationes, diatribas vel theses criticas de re franciscana dabit. Hic controversiae ex. gr. de scriptoribus, de fontibus, de valore documentorum, deque historia et chronologia franciscana locum habebunt, et iuxta normas verae critices fusius discutientur.

In hisce discussionibus paeferenda erit lingua *latina*, quin inde excludantur dissertationes in aliis linguis com-

munioribus exaratae: scilicet *gallica, italica, germanica, anglica et hispanica.*

NB. — Ad dissertationes non latinas, Directio indicabit summarie argumentum earum *latine*.

PARS SECUNDA: **Monumenta seu documenta franciscana** divulgabit, videlicet:

Antiqua et recentiora. Sectio haec continebit cuiusvis generis documenta, *inedita vel rarissima*, ad Ordinem quomodocumque spectantia. Ut ex. gr. *Chronica brevia* vel *minora Ordinis* (1); item vetera *chronica Provinciarum, conventuum, ecclesiarum, etc.*: *Vitas synchronas sanctorum, beatorum, scriptorum et quorumvis celebriorum fratrum Trium Ordinum: Necrologia conventuum: Catalogos antiquos nostrarum bibliothecarum: Bullas seu Litteras anecdotas Romanorum Pontificum, Praesulum, Imperatorum, Regum, et Magnatorum quorumcumque ad Ordinem, vel pro vel contra Ordinem datas: Epistolas Ministrorum generalium, Acta Capitulorum item generalium, Statuta tum generalia tum particularia Ordinis, vel Provinciarum, vel locorum: Epistolas, Relationes et Itinera Missionariorum totius orbis, et cetera huiusce generis ignota vel rara monumenta.*

NB. — Haec sectio documentorum omnino in *lingua originali* evulgetur; praefationes vero et notae critices semper *lingua latina* scribentur, nisi aliter rara et gravis ratio postulet, arbitrio relinquenda Directionis.

Si quae documenta forent in *linguis difficilioribus* exarata, addetur hisce versio litteralis in *lingua latina*.

PARS TERTIA: **Descriptio Codicum franciscanorum.**

a) Haec pars (magni utique pendenda), comprehendet notitias, declaraciones et descriptiones cuiusvis *codicis* et rarioris *incunabuli* franciscani. Hic praecipue *Series integræ codicum franciscanorum omnium ferme bibliothecarum describendae reservantur*, per ordinem civitatum, et iuxta perfectas normas bibliographicas hodie ubique inter eruditos receptas. Sicque mens nostra est vicissim describere

(1) Maiora vero *Chronica Ordinis* reservantur pro collectione « *Analecta Franciscana* » quae ultro progredientur.

singulos quosque codices magni momenti, et series integras nostrorum codicum quae ex. gr. Florentiae, Romae, in Vaticano, Monachii, Vindobonae, Berolini, Londini, Parisiis vel ubivis asservantur; ut sic opus nostrum eruditis proficiat, et continuatio et correctio *Syllabi Waddingiani* et Sbaraleae felicius inde succedat.

b) Item huc venit *Bibliographia antiquior*, quae libros quoslibet de re et historia franciscana antehac editos, raros praesertim, illustrabit commendabitque pro merito.

NB. — Codicographia et Bibliographia haec prorsus in lingua *latina* describenda foret.

PARS QUARTA: Bibliographiam librorum impressorum continebit, scilicet:

Libros omnes de historia et re franciscana, qui *recenter* in lucem prodeunt, explicabit, quorum *unum* saltem exemplar auctores ad nos *directe* mittere curabunt; deque valore operis iudicium nos aequa mente et ex animi sententia proferemus.

NB. — Collaboratores hac in parte p[ro]ferent linguam *latinam*, quin tamen excludantur linguae in *Discussiōnibus* admissae.

PARS QUINTA: Commentaria ex periodicis et ephemeridibus enunciabit, nempe:

a) Spicilegium ex periodicis et ephemeridibus franciscanis.

b) Spicilegia franciscana ab exteris periodicis.

c) Syllabus recensionum de operibus iam revisis.

Hac in parte, paucis indicabimus praecipuos et melioris notae *articulos* et *documenta* de re franciscana, quae tum in nostratis tum in exteris periodicis evulgata noverimus. — *Syllabus* vero dabit identidem *indicem omnium* periodicorum et ephemeridum, quae vicissim de auctore vel de operibus franciscanis iudicium aliquod protulerunt.

NB. — Haec pars, cum sua triplici sectione, lingua vel *latina*, vel *italica*, vel *gallica* exarabitur ad arbitrium Directionis.

PARS SEXTA: *Chronica* comprehendet, in duplicem sectionem sic distributa:

a) *Chronica litteraria*, et quidem primo *generalia*; sub qua rubrica exhibebuntur breviter notitiae generales, intra et extra Ordinem divulgatae, quae historiam, studia et res franciscanas quoquo modo prospiciunt: item breves biographyae, bibliographiae, res miscellaneae, et necrologia auctorum, qui de rebus franciscalibus vel scripserunt vel aliter quavis ratione studiis nostratibus sese habuerunt.

b) *Chronica seu Acta Ordinis particularia*: ubi exclusive documenta Ordinis *solemniora*, acta vel agenda maioris momenti ex toto Ordine *breviter* enunciabuntur.

NB. — Huius partis *documenta* in lingua originali dabuntur, cetera lingua vel *latina*, vel *italica*, vel *gallica* arbitrio Directionis.

ULTIMO IN LOCO tandem, in calce scilicet cuiusque fasciculi, sub rubrica — *Libri recenter ad nos missi* — catalogus exhibebitur omnium librorum et opusculorum cuiusvis argumenti vel idiomatis, quorum unum saltem exemplar vel enuntiandi vel examinandi gratia ad nos auctores miserint.

1. Si quae pars huius programmatis in uno vel in altero fasciculo periodici deficiet aliquando, hoc difficultatis variis, vel spatii, vel opportunitati imputabit benevolus lector; verum utcumque, diligentiae nostrae erit generale hoc programma fideliter in singulis tomis cuiusque anni integrum exhibere studiosis.

2. Periodicus, annuo, in *quatuor* plerumque *trimestres fasciculos* (quilibet paginarum circiter 150) prodibit; attamen si ob graves rationes secus visum fuerit, et materia aliunde urgeat, ut ex. gr. duo fasciculi aliquando uno prodeant tempore, hoc ita tamen fiet quod, in anno quolibet, statutus tomus integer paginarum 600, cum locupletissimis *indicibus*, in lucem omnino prodibit.

3. Quilibet auctor de suo articulo et iudicio rationem reddet; quare ipsum suo nomine subscripto signabit. Directio tamen, si opportunum iudicaverit, suam differentem opinionem aliquando in brevi nota exhibere poterit.

4. In quantum fieri potest, omnes articuli (praesertim I^{ma} et II^{ma} partis) in uno eodemque fasciculo initium et finem habebunt: et nonnisi raro articulum in duos vel plures fasciculos prosequi licebit.

5. Pretium subscriptionis annuae erit pro Italia *lib. 12*, pro regionibus extra Italianam *lib. 14*.

6. Directio et Administratio in *Collegio S. Bonaventurae Brozzi-Quaracchi* (Firenze).

Deo adiuvante, opus aggressi sumus laboriosum, ast ad incrementum bonorum fructuum ultro profuturum speramus.

Confratrum et amicorum opera indigemus continua, eamque toto animo imploramus, gratiam memori mente prosecuti.

Directio Periodici.

